



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 195. Hieronymus Pragensis ad rogam damnatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A.C. 1416.

§. CXC.V.

Hieronymus Pragensis ad rogam damnatus.

*En. Sylv.
hist. Bohem.
p. 73.*

Hac sententia a Synodo unanimi omnium voto approbata, ac pronuntiatâ, Hieronymus Pragensis sæculari brachio traditur. Biduo supplicii executio dilata est, ut pœnitendi tempus concederetur morituro. Data est nonnullis, & inter alios Cardinali Florentino, eundem invisendi facultas, ut illum ad sinum Ecclesiæ reducere conarentur, sed furdas pulsabant aures. Hieronymus doctrinam suam retractare constanter renuens, sereno vultu repetitam sententiæ suæ lectionem excepit, & imperterrito vultu supplicii locum aspexit. Incedebat, alta voce Symbolum: *Credo* &c. recitans, & eundo Litanias, atque Hymnum B. V. Mariæ decantabat. Ad pegma ferale perveniens, ubi pariter Johannes Hussus extremum subiit supplicium, in prolixas effusus est preces, quas Carnifices vestibus eum spoliando, & ad palum alligando interruperant. Ubi ligna circum se posita conspexerat, iterato Symbolum Apostolicum decantavit, & mortem audacius appetiit, quam Stoicorum quisquam sustinuit. Succenditur rogam, & omnia ejus vestimenta in ignem conjiciuntur. Sic ergo misere
inte-

interiit, nullo pœnitentiæ signo edito. Sæcul. XV. A.C. 1416.
 Demum cineres ejus sollicite collecti in Rhenum projiciuntur. Poggius Florentinus admodum nervose supplicii hujus seriem descripsit in quadam Epistola hanc in rem ad suum Leonardum Aretinum data, ex qua Poggium Hieronymo Pragensi plus justo affectum fuisse conjicimus. Ita sane ipse Aretinus de Poggio censuit, quocirca illum in suis ad Epistolam responsoriis desuper reprehendit, quamvis ceteroquin Leonardus quoque Hieronymo adeo infensus non fuerit.

§. CXCVI.

Prælati absentes ad Synodum revocati.

Peraçto hoc supplicio, omnium studia Vander Hardt tom. 4. p. 614.
 convertebantur in depositionem Benedicti XIII. & novi Pontificis electionem.

In dies Benedicti fautorum aliqui ab eo defecerant, & frequentes Principum, ac Prælatorum Legati, vel Deputati hujus obedientiæ advenerant, ut sese Synodo subjicerent. Omnes quotquot expediebantur Epistolæ, ad normam Narbonnensis conventionis instruebantur. Cum vero plures Prælati ex aliis obedientiis sub diversis coloribus a Synodo recesserint, hæc Bullam promulgavit, qua omnibus Cardinalibus, Prælatis, aliisque Viris tam Ecclesiasticis quam